

R. Falsum est æqualitatem cessare propter societatem, & per societatem, quæ per se potius æqualitatem supponeret aut faceret, quemadmodum adagio fertur: *Amicitia aut paves invenit aut facit*. Quod si inquit, societatem constare non posse, quin alius sit superior alius inferior: Debuisset auctor de spiritu legum nos docturus paululum indicare, unde hæc impossibilitas oriatur? ut radice hac evulsa vivere leges ac societates possent. Non igitur societas, sed aliæ sunt, ut *spectaculum nature* paulo ante exposuit, inæqualitatis hominum causæ, ad quas bellum auctoris ingenium ascendere non potuit, aut novandi studiosa voluntas noluit.

40. Pergit: „*Et status belli incipit.*

R. Egregia consecutio: Societas est, ergo est status belli. Ubi vagabatur per annos viginti mens auctoris, ut in statu societatis cogitaret comprehendere rem societatis inimicam, nempe bellum, tanquam diceret: Concordia est: ergo est discordia. Aliæ sunt rursus belli causæ, quam societas, quæ est unionis vinculum. Has causas reperire auctor non potuit, vel non voluit, viginti licet annos quærens.

41. Equidem societas materiam præbet multis bellis: sed non hoc ipso bellum incipit, quod sit societas; sed quod socii sint vitiosi. Vitiosi autem sunt etiam extra societatem. Ille monachus Ægypti sæpe Abbati suo questus de sociis, obtinuit, ut liceret soli vivere in remota eremo. Hic dum è fonte mille passus dissito aquam affert, amphoram imponere saxo vult. Amphora in saxo inæquali volebat federe. Aliquoties ergo tentato diverso situ amphoram allidit saxo, in eoque rumpit. Non dicam hic diabolus risisse; nam Politici nostri riderent. Sed Monachus ad Abbatem rediens fassus est, non socios, sed se causam sibi bellorum esse, & societatem etiam saxo sibi ita vitioso gravem esse.

42. Pergit paulo post: „*Status belli duplex (inter cives ac cives, & inter nationes ac nationes ortus ex societate) facit stabiliri leges inter homines.*

R. Falsa est hæc legum causa in universum: imo bellum potius evertit leges & filere jubet. Si cives inter se pugnant, quis eorum legem feret? An rex? sed hic quoque civis est & sua lege pugnat contra ceteros, ac ceteri repugnant legi. Altius assurgere debuisset auctor, ac viginti

ginti annorum labore potuisset forsitan pervenire ad veras causas legum, quas hætenus nos alii bene intelleximus. Cancer pulvis suis retrorsum sæpe concedentibus volebat legem scribere, eamque etiam exemplo suo docere. Parabat præire antrorsum: sed pedes ferebant retro: & sic præeuntis exemplum sequebantur de more pulli: putabant enim hanc esse legem, quam mater tulisset. Et forte repugnassent matri in anteriora abeunti. Non leges nostræ simpliciter stabiliunt rectum cursum, sed *rectæ*, hoc est aliunde regulatæ.

43. Pergit statim: „*Homines considerati tanquam habitatores tam magni planetæ, ut eum necesse sit à variis populis incoli, habent leges in eo respectu, quem habent isti populi inter se.*

R. Incerta, falsa, tautologica hæc omnia. Nam illud de terra planeta quomodo huc spectat, ubi de legum positivarum causis & spiritu agitur? nisi, ut ubique extraordinarium se ostenderet auctor. Planeta sit tellus, an fixa, quid hoc ad leges positivas? Deinde velut rem certam supponit, terram esse planetam, cujus demonstrationem libenter audiremus nos ex auctore tam ingenioso: quem oramus, ut alios

viginti annos, si vacat, in hoc impendere velit, res miras parturiet.

Ex magnitudine terræ nescio an legitime deducatur tanta diversitas populorum. Magna est terra: ergo populi in ea debent esse varii. Centuplo major est sol: ergo populi, quos in illo haud dubie cernit auctor, centuplo magis varii esse debent.

Mihi quidem videtur, magnitudinem terræ minime obstare, quominus populus uniformis quoad animum, mores & leges eandem totam incoleret, etsi colore cutis forte differrent. Alia rursus est diversitatis populorum causa, quam terræ magnitudo.

44. Considerati ergo isti homines quæ planeticolæ, quæ diversi, habent leges in respectu, quem hi populi inter se habent, dicit auctor: quod est idem ipsius linguâ ac dicere: *Populi habent respectus in respectu quem inter se habent. Vel habent leges in lege quam inter se habent.* Nam auctori LEX est RESPECTUS: ergo qui habet legem in respectu, habet legem in lege, vel respectum in respectu.

In quonam autem hunc respectum ponat, paulo post audiemus.

45. Pergit auctor: „*Et hoc est Jus gentium.*

Nimi-

Nimirum respectus in respectu populorum est jus gentium. Quem respectum videtur inferius sic exponere:

„ Jus gentium naturaliter fundatum est super hoc principio: „ diversas nationes facere sibi „ invicem debere plurimum boni in statu pacis; in statu vero „ belli minimum mali, quin tamen suis commodis obsint.

β. Imprimis hoc non esse jus gentium, sed naturæ.

Deinde non cohærent hæc cum principiis auctoris. Is dicit, legem esse *respectum necessarium orientem ex natura rerum*: Igitur lex gentium etiam ipsa debet oriri ex *natura gentium*. Jam auctor mox antè decreverat, ex natura cujuslibet populi five societatis particularis sequi & oriri statum belli inter nationem & nationem: Ergo Lex gentium consistit in isto statu & respectu hostili tantum; quia auctor non agnovit, ex natura societatis seu populi oriri statum pacis. Unde ergo nunc legem gentium de pace imperantem deducit? nempe hanc ex alio fortasse planeta repetet.

46. Pergit autem de Jure gentium hunc in modum: „ Objectum Belli est victoria: objectum „ victoriæ acquisitio: acquisitionis „ conservatio. Ex hoc prin-

„ cipio, & ex præcedenti derivari „ debent omnes leges Juris „ Gentium. Omnes gentes habent „ Jus Gentium. Ipsi Iroki, qui „ captivos suos devorant, habent „ illud. Mittunt recipiuntque „ legatos: agnoscunt jura belli & „ pacis. Id malum est, hoc jus „ gentium non esse fundatum „ supra vera principia.

β. Imprimis ambiguo significato hic sumitur *objectum* pro *sine*, ita ut victoria tanquam finis belli sit ejus objectum. Fines autem respiciuntur à rebus. Igitur Auctor, cum hic explicat objecta seu fines gentium, vult exponere illos *respectus necessarios*, in quibus consistit jus gentium.

47. Omni vero modo loquitur præter regulas sermonis. Nam hos fines seu respectus initio sui libri dixerat esse ipsas leges. Nunc vero dicit, hos fines esse principia, super quibus fundari debent leges.

Finem belli esse victoriam ipse dicit: alii dixerunt, *Finis belli pax est*. Et si super victoriæ intentionem fundanda sunt jura gentium, redibunt nobis jura injusta barbarorum, qui bella inceperunt non alia causa, quam ut vincerent, ut se ostenderent superiores, fortiores. Exempla veterum loquuntur. Ex hoc etiam con-

consequitur, populum justissimum fore, si semper quoscumque bello aggrediatur, modo ne suo interesse, quod vocant, noceat. Nam si juris gentium in hac parte finis est victoria; una parta victoria, restat victoria secunda; parta secundâ restat tertia; adeoque restat semper finis obtinendus jure gentium, semper adeo honestè ad illum finem tendit, semper honestè alios aggreditur.

48. Victoriæ, ait, finis est acquisitio, *la conquête*. Ponamus te unum, quod petebas, victoriâ acquisivisse, e. g. castellum, tractum terræ: sed supersunt alia castella, regiones, regna, quæ acquiras. Si jam jus gentium fundas super finem acquisitionis, quamdiu aliqua acquisitio facienda superest, habes finem & motivum honestum victoriâ illam quærendi. Acquisitio enim est principium & fundamentum juris gentium; quod jure gentium fit honestè fit.

49. Si vellet auctor nunc demum expositionem aliam facere hujus acquisitorii finis, optassemus, illam fecisset in eo libro, quo essentiam legum ceteris adhuc incognitam vult clare exponere. Et viginti annorum labore potuisset tam bellum ingenium ambiguitatem & æquivo-

cationem advertere ac tollere, si non in toto libro, certe in *principiis* juris explicandis per verba non indeterminata & confusa.

50. Finis, inquit, acquisitionis est *conservatio*. Hoc æque est anceps. Nam una acquisitione facta, v. g. Lotharingiæ, debent ne Galli esse contenti ejusdem conservatione, ita ut de nulla deinceps acquisitione cogitent? An potius isti tres fines ita sunt in circulum dispositi, ut conservando rem hodie acquisitam, cras debeam incipere novum bellum, ad novam victoriam, novamque acquisitionem, ut iterum habeam quod conservem, & in quo finem honestum juris gentium assequar?

Tale fuit Jus Alexandri magni, tale Romanorum, tale Tamirlanis: Et nostri auctoris sententiâ tale *debeuit esse*, quia jus gentium *debet fundari* super victoriam & acquisitionem.

In his principiis, qui restitueret populo ablata, jus gentium violaret, quia contra principium acquisitionis & conservationis peccaret.

51. Illud quoque rem terribiliter intricat, quod semper acquisitio ab uno facta consistat cum amissione ex parte alterius. Quis jam decernet, unde acquisitio fit incipienda? unde amissio? Gladius

dius decernet non tantum eventum sed etiam justitiam: qui acquisivit, justus est, quia super fundamenta juris gentium ædificavit. Qui perdidit terras, sceptrum, regnum, fortunas, injustus est, quia infelix fundamento acquisitionis destituitur, quamvis eam acquisitionem, aut saltem conservationem in animo habuerit.

Tali ratione omnes parvi, debiles, omnes oppressi, sub jugum acti, victi, profligati, spoliati, sunt etiam injusti nec jure gentium vivere possunt. O præclarum Jus Gentium, præclari juris gentium principia, præclarum spiritum legum & admirabilem profocietate, o necessariam Politicam!

52. Exemplum Irokorum, quod edit auctor pulcre ostendit, cuius juris gentium principia ipse ponat. Iroki mittunt ac recipiunt legatos, jura belli agnoscunt, inter quæ belli Irokorum jura est hoc, ut inimicos captos ad pinguedinem nutritos mactent & devorent. Salvum ipsis est hoc gentium jus: modicum tantum aliquid deest, nempe, quod *veris principiis* non inædificatum sit. At enim Irokii hoc suum jus inædificant *Victorie, Acquisitioni, Conservationi*, quod plane certum est eos facere. Igitur Principia

Victorie, Acquisitionis & Conservationis, ex mente Auctoris, non sunt vera principia Juris Gentium: & habemus fatentem reum.

53. Sed pergit auctor ad *Definitionem spiritus legum* ampliorum farraginem congerere, qua omissa propius non nihil ad rem accedit hoc modo: „Lex in genere est Ratio humana, in quantum gubernat populos terræ.

Antehac lex in genere erant *respectus necessarii orientes ex natura rerum*, nunc lex in genere est *ratio humana &c.* Ratio humana ut populos gubernans mihi non videtur esse *respectus necessarius ortus ex natura rerum*. Ergo aut ratio humana lex non est, aut lex non est *respectus necessarius ex natura rerum*. Cicero paulo altius, quam bellum hoc ingenium, ascenderat, cum legem in genere dixit *Rationem* omnia moderantis & gubernantis *DEI*. Quis horum, oro, fortius ingenium habet? nam de hoc solo jam potissimum ago, ut ostendam quam debile fuerit auctori ingenium ad rem tantam penetrandam quanta est *Spiritus & anima legum*.

54. Mox pergit: „Leges Politicæ & Civiles cujusque nationis non debent aliud esse, quam casus particulares, quibus

„bus hæc ratio humana applicatur.

Imperitus sermo. *Leges sunt casus particulares*. Lex non est casus, est regula casuum, unde casuum justitia aut injustitia defumitur. Dicere debuisset: *Ratio humana particularibus casibus applicata lex est politica vel civilis*. Nam si ratio humana in genere lex est, eadem etiam lex erit in particulari sub genere comprehensa.

Sive autem Ratio in genere, sive in particulari spectetur ea non est *regula* justitiae, sed justum est regula rationis: cui justo si non sit subdita eique conformata ratio, parturit illas leges monstrosas, de quarum spiritu hic auctor tantopere sollicitus est: nempe leges Irokorum, Caribum & Cyclopum.

55. Pergit auctor de legum conditionibus ultra differere. „Leges, inquit, Politicæ & civiles ita debent esse propriae Populo, pro quo sunt factæ, ut non nisi fortuitissimo casu leges unius nationis possint convenire nationi alteri.

Nimirum rarissimus & vix possibilis casus fuit, quando leges Romanæ inductæ fuerunt in Africam, Asiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Thraciam, Britanniam. Quæ ita, ut auctor dicit,

fortuita sunt, non debent unquam in cujuslibet arbitrio esse posita. Scimus autem Carolinorum Imperatorum tempore in Italorum, Germanorum & aliorum potestate arbitrioque fuisse, qua vellent lege vivere, ac judicari &c. Longobardorum, Francorum &c. Deinde si tanta est illa legum pro uno populo proprietate, unde fit, ut populus unus legem petat ab aliis? Romani jam tunc non incelebres & majus aliquid spirantes leges decem tabularum didicerunt à Græcis, quorum certe diversum à Romanis illis antiquis ingenium fuit, diversum clima, diversa politica, diversa religio, diversæ opes & commercia. Multa & constans experientia auctori ad-versatur.

56. Pergit ipse in definitione spiritus legum: „Leges, ait, debent referri ad naturam & principium Gubernationis seu status jam stabiliti, aut stabilendi.

Quid hic intelligit per leges auctor? An rationem humanam? an *Casus particulares*, quos antea nomine legum Politicarum & civilium appellaverat? Nihil video, quod hic discam. Nam casus particulares in aliquo statu referri debere ad statum ipsum, equidem tam certum est, quam mem-

membrorum actus referri debere ad actum corporis totius. Sed quid hoc ad *spiritum legum*? Spiritus membrorum non est alius, quam spiritus totius. Edicat nobis auctor spiritum totius, facile deprehendemus spiritum particularium casuum.

Rurfus si per leges intelligit rationem humanam in genere, quaero, num hoc ipso, quod ratio humana referatur ad statum regiminis, sit lex, & lex justa, hoc est vera lex? Igitur leges Caribum, Irocorum, Cycloperum erunt verae justaeque leges, quia tam istorum ratio quam casus illorum particulares referuntur ad ipsorum statum regiminis.

Hic porro auctor profitetur, leges *debere* habere relationem ad naturam gubernationis iam stabilitam. Frustra igitur alio loco se excusat, se in suo libro non praescribere, quales *debeant* esse leges, sed quales *sint*. Nam ipse scribit spiritum legum: spiritus autem legum juxta ipsum sunt illae relationes, quas leges *debent* habere: igitur ipse scribit quales debeant esse leges; & conficta est ejus excusatio ad tegendum animum suum; quem tegere opus non erat, si voluisset simpliciter agere, & lucem non fugisset.

57. Pergit iterum definire spiritum legis: „ Leges *debent* esse „ relativae ad Physicam sive „ naturam regionis: ad clima „ frigidum, fervidum aut temperatum: ad qualitatem soli; „ ad illius situm, ad illius magnitudinem; ad genus vitae populo usitatum, si sunt aratores, venatores, pastores: *debent* se referre ad gradum libertatis, quem Constitutio sufferre potest: ad religionem habitantium, eorum inclinationes, opes, numerum, commercia, mores, & modos. Denique leges habent relationes inter se ipsas, & cum origine sua, cum ordine rerum illarum super quibus ea leges factae sunt: oportet ipsas leges considerare in omnibus istis finibus & intentionibus. „ Atque hoc demum in praesenti opere praestandum mihi sumo. Examinabo omnes istas relationes: *illae relationes omnes simul sumptae sunt hoc, quod appellatur SPIRITUS LEGUM.*

58. Gratiae multae auctori, quod definitionem Maandro flexuosiore tandem ad exitum perduxerit. Videamus jam, quis tandem sit hic spiritus: cum enim Leges debeant esse accommodatae religioni, haud dubie debent accommodatae esse religioni etiam nostrae.

nostrae. Religio autem nostra nos jubet probare spiritus si ex DEO sint, ergo ex ipso auctoris decreto nobis incumbit hunc ipsius spiritum legum examinare si ex DEO sit. Si non fuerit, ex decreto auctoris damnabimus hunc spiritum damnatum a DEO, damnatum etiam ab auctore hoc, quia non convenientem religioni nostrae.

59. Ne vero sim justo verbosior omnia illa, quae diffuse nominavit auctor trium sunt classium. 1. *Naturalia elementorum.* 2. *Naturalia ingenii humani.* 3. *Religionem qualemcumque.* Unum solum in amplo hoc vocabulario auctoris quaesivi, quod invenire non licuit: scrutabar enim num alicubi desideraret, *Leges* relationem habere ad *Justitiam*? ad rationes non caducas & mutabiles, sed aliquas constantes, aeternas, & si dicere per politicos licet, *Divinas*?

60. Quod si ostendero, fieri posse, ut leges omnes istos ab auctore enumeratos respectus habeant, & tamen sint injustae, malae, contra rationem, contra DEUM, contra proximum pugnantem, nemo opinor diffitebitur, *spiritum legum* ab auctore proditum non esse spiritum legum, sed mortuum aliquod cadaver, in putredinem abiens.

61. Necessse autem hoc jam loco occurrere excusationi, quam forte auctor faciet, eamque pracludere. Dicet enim forte, se non statuere in suo libro *quales debeant esse leges*, debere enim absque dubio esse justas; sed *quales sint* jam in nostro hoc planeta, quem incolimus.

Haec enim vana est excusatio. Nam qui *Spiritum & animam legum* docet, examinat, dijudicat, is opinor, ad hoc tendit, ut quomodo vivere, ac subsistere leges possint deprehendat & nos doceat, non possunt autem subsistere leges, nec vere leges esse, nisi sint tales, *quales esse debent*. Igitur qui spiritum legum examinat & docet, is docet, quales *debeant esse leges*. Ad haec ipse auctor non dissimulat, ostensurum se, quales *debeant esse leges*: nimirum *debent* respectum habere ad statum, ad clima &c. ut ex supra allegatis patet. Nusquam autem docet, quod *debeant ad justitiam, ad DEUM*, ad aeternas rationes referri. Igitur ex auctoris mente leges non debent ad ista referri, neque in his quaerendus est spiritus legum. vid. N. 22.

62. Neque dicet: se oblitum esse hujus rei; aut hanc rem veluti parvi momenti fuisse relictam; aut transcriptam Theologis.

logis. Priora enim duo essent admodum miserabilia, pro viginti annorum lucubratorum tam belli ingenii. Adhæc *quales fuerint ac sint* leges populorum mundi, ex hoc auctore parum discimus, oportet legere fontes ipsos, historias veterum & novorum, ipsosque eorum legales libros. Tertium de Theologis nihil iuvat auctorem: nam qui animam & spiritum legum considerat & examinat, spiritum hunc extra DEUM certe inveniet nunquam. DEI ergo cognitor & sciens, hoc est, Theologus utcunque esse debet.

Jam ergo accedamus ad paucis examinanda tria principia legum ab auctore proposita: five ad examinandam definitionem spiritus legum, quam dedit.

63. Denique vero nescio an unquam hætenus à Scholasticis, quos isti damnant, edita fuerit tam monstrosa definitio in re tanti momenti, qualis est hæc ab eleganti sane ingenio per annos viginti elaborata?

I.

De Spiritu Legum nato ex naturalibus Elementorum.

64. **Q**Uod ad primam classem attinet rerum, ex qui-

bus Auctor Spiritum legum deducit, vel componit, vel nescio quid de eo facit, ea consistit in natura elementorum: nempe in terra, aqua, aëre, sole, glacie, sale, sulphure, pice, pituita, creta, vapore ac nebulis. His rebus debent esse accommodatæ leges, & in hac accommodatione consistit spiritus legum. Misere nos Auctoris, qui *Spiritum* legum quærat in *materia*. Agnoscimus prout, per infelicem quandam necessitatem nos constringi, ut istarum rerum *aliquam* habeamus rationem: sed ratio nostra his naturâ superior, quantum potest refugit his involvi & subdi. Noster vero auctor in hac subjectione constituens animam legum, ansam præbet infelicibus, ut totos se dedant materialibus. Quis enim non summis viribus contendat materia uti frui, & secundum illam instituere vitam, illi subicere rationem, si persuasum ipsi sit, animam legum adeoque justitiam consistere in subordinatione ad materiam! Hoc est ipsum, quod Puffendorffius dixerat. Is in commodis hujus vitæ constituit *finem juris*. Auctor noster elegantior *spiritum juris* constituit in iisdem, quæ tamen aliis nominibus vocat.

65. Sta-

65. Statuit auctor: Leges tum in genere tum Politicæ ac civiles hoc est *Ratio humana*, & *casus particulares*, quibus se applicat ratio humana, *debent* habere *relationem* ad *Naturam materialem*. Hoc loco Auctor non exponit, *qualis* debeat esse ista relatio, cum possit esse varia. Igitur peccat in leges *de la justesse de penser & de parler*. Male solidum ingenium male exponit vane cogitata.

66. Relatio alia est *physica*, alia *moralis*. Physica est necessaria, moralis est libera. Auctor in ipso exordio libri dixit, Leges esse *respectus necessarios*. Ergo si posteriora consentiunt prioribus, auctor intelligit semper relationes necessarias *physicas*, non liberas morales. Relationes autem *physicæ*, necessariæ, immutabiles, non sunt in nostro arbitrio, non sunt morales. Totus igitur auctoris liber non est de legibus; quia leges sunt relationes morales. Et quomodo hic liber sit *de spiritu legum*?

67. Relatio moralis alia est *æqualitatis* alia *inequalitatis* five superioritatis & subjectionis. Ratio humana tanquam lex, & casus particulares nationum tanquam lex, qualem habent relationem ad materiam? an æqua-

litatis? Igitur ratio humana contendere libere debet, ut æqualis fiat materiæ. Igitur non magis ratio imperat materiæ, quam materia imperet rationi. Cur ergo rationem potius quam materiam dicit legem? Cur non dicit: Lex in genere est materia in tantum quantum premit omnes populos. Leges autem Politicæ & Civiles non sunt nisi materiæ particulares, quibus se æquat ratio humana?

68. Videtur autem auctor relationem etiam *superioritatis* constituere, quia dicit: Ratio humana, *in quantum gubernat omnes populos*, lex est. Sed ad rem deinde cum venit, sceptrum rationi concessum eripit, traditque nescio quibus casibus particularibus. Omnes populi gubernantur à ratione: sed tamen omnium populorum *Casus particulares sunt leges* politicæ ac civiles populorum; neque rationi humanæ, quæ antea populos gubernabat, aliud jam relinquatur, quam ut se populorum casibus, qui leges sunt, denique applicet & accommodet. *Casus autem populorum particulares* quid sunt? Nempe alii casus sunt naturales, alii morales. De moralibus dicemus postea. De naturalibus nunc tria verba dicenda. Sunt nempe